

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

V.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## V.

OTTONIS III. IMP. PRIVILEGIUM MONASTERIO  
WALDKIRCH DATUM.

ANNO DCCCCXCIV.

*Ex autographo Waldkircherfi. (a)*

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO Divina favente clementia Rex. Si ecclesias Dei nostra regalis persona, potestate à Rege Regum nobis mortalibus concessa, sublimare conamur, hoc procul dubio & ad præsentis nostri regni statum, & ad æternæ beatitudinis præmium nobis profuturum fore credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quam & futurorum noverit solers industria, quomodo nos cuidam monasterio *Waldkircha* vocitato, in pago *Brifiggouue* dicto, & in comitatu *BIRTHILONIS* Comitum sito, ac in honorem Sanctissimæ Dei genetricis Mariæ, Sanctæque Margarethæ Virginis constructo ac dedicato, quod per traditionem Burchardi strenuissimi Ducis Alemannorum unâ cum consensu & comprobatione contractalis suæ Hadewige hereditario jure in nostrum decidit jus, talem donamus atque largimur libertatem, qualem Augia, Corbeja, aliaque monasteria habent nostri regni, in quibus monachi vel monachæ sub regula S. Benedicti digna Deo præbent servitia. Volumus enim, ut præfatum monasterium rerum suarum liberam in omnibus disponendi regu-

(a) HERRGOTT. *Geneal. Habsb.* Tom. II. n. 149. vitiose passim.

lariter habeat potestatem, ut quæcunque eidem monasterio in auro, vel argento, in agris, & famulis, seu quibuslibet rebus, fuerint oblata, five in præfenti die collata esse constant, vel data, in dispositione maneat Abbatisæ, quæ eidem loco prælata est, vel in futuro prælanda erit; ut quicquid secundum Dei timorem regulariter disposuerint, ad ecclesiæ illius utilitatem, liberam in omnibus cum consensu fororum suorum spiritualium, inibi Deo servientium; faciendi habeant potestatem; monachæ vero, quæ ibi sub regula S. Benedicti die noctuque incumbunt servitio Divino, dum more mortalium Abbatisa earum hujus vitæ . . . consummaverit, habeant potestatem inter se eligendi Abbatisam, & eam videlicet personam, quæ præpositum conversionis & moribus & habitu profiteatur. Insuper volumus, & omnino perdonamus, ut nullus Dux, Comes, Vice-Comes, aut aliqua judiciaria persona, potestatem habeat in præfato monasterio, vel in locis ad illud monasterium pertinentibus pernoctandi, vel placitum tenendi, aut paratam exigendi, seu aliquod servile onus eis earumque familiis imponendi, nisi forte necessitatis causa, aut dilectionis gratia vocati ab Abbatisa adveniant, vel importunitate sui suorumve sacro loco aliqua inferatur molestia. Advocatus enim nullus ibi constituatur, nisi quem ipsius monasterii Abbatisa cum consilio totius congregationis sibi aptum & utilem elegerit. Et si inscie & non satis caute sibi advocatum non bonum acquirerint, re cognita, eo abjecto, potestatem habeat in alterum illis utiliore transire. Et ut hæc nostra Regiæ auctoritatis concessio nunc & in futuro firma & inconvulsa permaneat, hoc nostræ donationis privilegium cum consilio principum nostrorum auctoritative inde conscriptum

figilli

figilli nostri impressione signare iussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum Domini Ottonis (locus monogrammaticus) gloriosiss. Regis.

Hilibaldus Episcopus & Cancellarius jure Wiligisi Archiepiscopi recognovi. Datum XI. Kal. Jan. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXIII. Indictione VII. Anno Tertio Ottonis regnantis XII. actum *Sasbach* (a) feliciter. Amen.



VI.

OTTO III. IMP. MONASTERIO WALDKIRCH DONAT  
MANSOS V. IN SCAFHUSON, VILLA BRISGOVIÆ.

A N N O D C C C C X C V.

*Ex Autographo Collegiæ Waldkirch.*

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis OTTO diuina fauente Clementia Rex. Omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet atque futuris notum esse uolumus quemadmodum Nos ob petitionem & interuentum dilectæ Sororis nostræ Sophiæ Sanctæ monialis dedimus quinque

(a) Sasbach vicus ad Rhenum in Brisgovia, infra Brifacum.

*Cod. Dipl.*

B